

CAP. II.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM.

28. — Praenotandum. — « Si amore Dei tui
« succensus esses, certe doleres non modicum et eru-
« besceres in te ipso, tam benignissimo Deo tuo sic
« defectuose et pigre ministrare. Et quanto plus pro-
« ficeres, tanto amplius erubesceres et doleres, et
« nunquam cessares, sed semper majori ardore suc-
« census, majora reincipere conareris; nunquam certe
« de his et in his quae ad honorem Dei pertinent,
« tuus posset refici appetitus, semper enim cupidus,
« semper avidus, semper famelicus appareres » (S. Bo-
nav. *Stim. amor.* 2 p. c. 9).

ART. I. — De generali obligatione perfectionis.

29. — Obligatio in genere. — Ex dictis num. 18,
perfectio est *infima*, *media*, vel *superior*, prout ex-
cludit mortalia tantum, vel mortalia simul et venialia
plene deliberata, vel importat observantiam consi-
liorum, et opera supererogationis. Consilia autem
quorum observantia requiritur ad perfectionem pro-
prie talem, sunt illa quae propriae uniuscujusque
conditioni sunt proportionata. Haec autem consilia

inducunt ad vitandas imperfectiones, quae immediate
disponunt ad venialia et ad amplectendum omne
bonum et meliori modo ita ut homo semper faciat
quae magis placita sunt Deo. HINC:

I. *Omnes homines omnino tenentur ad perfe-
ctionem infimam.* — Quia 1° tenentur servare prae-
cepta gravia et vitare mortalia peccata: atqui id
tantum exigit perfectio infima... 2° tenentur ad per-
fectionis fundamentum quod est charitas. — Unde
perfectio infima est necessaria ad salutem. Notan-
dum tamen, quod mortaliter peccantes per excessum
vel per defectum, non committunt speciale peccatum
contra perfectionem infimam, diversum ab eo vel eis
ex violatis praeceptis provenientibus, ut patet. Quoad
praeceptum poenitentiae et charitatis, vid. *Theol.*
Moral.

II. *Omnes homines tenentur ad perfectionem me-
diam.* — Quia 1° tenentur non solum vitare mor-
talia, sed et venialia deliberato affectu commissa, ut
patet. — 2° Tenentur praeceptis divinis parere etiamsi
obligent sub levi. — 3° Venialia proxime disponunt
ad mortalia. Haec tamen obligatio est levis per se,
nec importat reatum leve diversum a praecepto per
leve peccatum violato. — Vid. in *Theol. Mor.* quando
veniale fit mortale ob periculum.

III. *Perfectio proprie dicta (seu stricte talis
sive superior) non obligat omnes homines.* — Quia
perfectio proprie dicta versatur circa consilia: atqui
consilia jam non essent consilia, si omnes obligarent;
ergo... Hinc merito docet S. Greg. Naz. quod in le-

gibus nostris alia peragendi necessitatem imponunt, alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio et potestate posita sunt; ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore et praemiis afficiantur; qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant (*Orat.* 3).

IV. *Omnes homines invitantur ad perfectionem proprie dictam.* — PROB. 1° Existit pro omnibus divinum consilium nihil agendi nisi supernaturaliter, id est, ex motivo ordinis supernaturalis et sub impulsu gratiae, et meliori modo: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi » (*Coloss.* 3, 17); atqui sic agere est perfectionem procurare; ergo... — 2° Notio perfectionis praeter charitatem habitualement omnibus necessariam, importat proximam dispositionem ad operandum *frequenter, facile ac prompte*, juxta divina praecepta et consilia, ut in omnibus Deo placeamus: atqui haec omnia omnibus proponuntur, ut patet ex *Eccles.* 9, v. 10: « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare ». Item Apostolus, *Philip.* 4, 8: « De caetero, fratres, quaecumque amabilia, « quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua « laus disciplinae, haec cogitate, » id est, praecepta meliori modo adimplete, opera supererogatoria meliora ac opposita amplectimini, juxta cujuscumque statum et vires. Item *Matth.* 5, 48: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est »: quibus verbis Christus non jubet impossibilia, sed inducit omnes homines ut strenue adlaborent ad perfectionem quotidie majorem obtinendam. Ergo...

HINC, sicut de hominibus viatoribus quodam modo dici potest, juxta doctrinam S. Chrysostomi, quod possibile est, ut in terrarum regione adhuc degentes, quasi jam in coelis habitent, cuncta perficiant (*Homil.* 20, in *Matth.*): ita cum dolore confitendum, quod pauci sunt qui firmiter, permanenter et efficaciter facere velint quidquid divino beneplacito magis meliusque respondet: Hujusmodi dilectio, (ut docet S. Aug.) non est multitudinis, vel communium iustorum, sed perfectorum filiorum Dei, quia valde magnae et beneficentissimae bonitatis existit (*Enchirid.* c. 73). — Ergo totis viribus satagamus, toto corde divinum imploremus auxilium, ut non solum in omnibus agamus *ex motivo sive in ordine supernaturali*, sed etiam *meliori modo in hoc ordine*: etenim juxta doctrinam S. Ambrosii, dum vivimus debemus semper operari et consequenter bene operari (in *Luc.* 17). Diligamus Deum, crescamus in charitate, et animas nostras multiplici perfectionis virtute adornabimus: etenim « charitas patiens est, benigna est... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet » (1, *Cor.* 13). Charitas est « vinculum perfectionis » (*Coloss.* 3, 14), quoniam omne bonum a charitate ligatur, ne pereat, in quantum refertur ad charitatem augendam vel acquirendam: charitas enim est finis aliarum virtutum, easque ligat in unitatem perfectam: perfectio autem charitatis est finis christianae perfectionis.

ART. II. — De speciali obligatione perfectionis.

30. — Obligatio in specie.

NOTA. — I. Dictum est num. 10 quod perfectio est vel *personalis*, vel *status seu regularis*. Attamen latiori et generaliori sensu vocatur etiam STATUS PERFECTIOE *ille per quem homo Dei obsequio specialiter se dicat ex aliqua obligatione libere inita*: unde status perfectionis debet esse externus, et per externas actiones exerceri. Exemplum status perfectionis in genere: Titius ob Dei amorem promittit quotidie se Missam auditurum, vel horas canonicas recitaturum, vel religionem ingressurum: in iis omnibus debet necessario et consequenter exercere actus perfectionis externos. — II. Status perfectionis est *completus* si totum hominem divino obsequio mancipet, *incompletus*, si sub aliquo tantum respectu. *Primus* est status clericorum et regularium; *secundus* est status devotorum quibusdam operibus perfectionis et supererogationis ex obligatione addictorum. — HINC:

I. Quisque ad perfectionem magis vel minus obligari potest tripliciter: *ratione voti*, *ratione contractus*, *ratione muneris*. Etenim, certum est quod perfectio non obligat nisi volentem ad illam se adstringi per specialem statum vitae, cum nemini rigorosum praeceptum imponatur ad illam amplectendam. Homo facultatem habet se Deo specialiter dicandi sive per votum, sive per contractum seu pro-

missionem, v. gr. in hospitalibus pie conversandi, sive per munus ecclesiasticum servatis servandis susceptum: ergo...

II. *Obligatio perfectionis importat peculiarem statum perfectionis*. Porro status perfectionis oritur ex aliqua obligatione permanenti, v. gr. ex promissione continentiae quoad sponsos. Cum ergo multiplices sint obligationes quas homo externo modo sive quadam solemnitate seipso in ordine ad perfectionem imponere potest, multiplices esse possunt perfectionis status, *quibus homo permanenter vivat modo apto ad perfectionem aliqua supererogationis opera exercendo*. — Status perfectionis ad opera perfectionis ordinatur. Hinc, *ad mensurandam obligationem perfectionis, talis vel talis status perfectionis, attendendum est ad naturam et circumstantias voti, contractus vel muneris ex quibus oritur, juxta communes Theologiae moralis regulas*, et fugienda interpretatio rigorista, ne ex conscientia erronea multiplicentur peccata servorum Dei.

III. Ex generaliori notione *status perfectionis*, prima fronte apparet quanta adest differentia inter incompletum et completum perfectionis statum. Agendum ergo speciatim de completo, seu de proprie tali, sive de statu clericali et religioso.

31. — *Obligatio clericorum*. — Ad vitandam omnem confusionem circa obligationem tendendi ad perfectionem, sciendum quod aliud est *status perfectionis acquirendae*, et aliud *status perfectionis exercendae*. Primus est regularium, secundus ecclesiasticorum.

Primus est studium propriae perfectionis in religioso instituto, secundus est studium salutis animarum. Primus est pro seipso, secundus pro aliis. Primus est status perfectionis propriae, secundus est status perfectionis alienae. Primus respicit personam, secundus respicit munus seu officium. — HINC:

I. *Perfectio exercenda praerequirit personalem perfectionem acquisitam.* PROB. 1° « Sancti erunt « Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum « enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo « sancti erunt » (Lev. 11). — 2° « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam morum resque suos omnes componere ut habitu, gestu, « incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi « grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant » (*Trid. Sess. 22, c. 1, de R.*). — 3° « Ad « idoneum exercitium Ordinum non sufficit bonitas « qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut « sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem « constituuntur gradu Ordinis; ita et superiores sint « merito sanctitatis » (S. Thom. *Supp. q. 35, a. 5*). — 4° Ecclesiastici praeter fugam mortalium et venialium deliberatorum, necessario et specialiter debent in castitate obfirmari, in humilitate contra ambitionem solidari, obedientiam erga proprios Praelatos fideliter servare, patientiam et charitatem erga fideles in ordine ad salutem aeternam ipsorum fidelium fortiter tenere.

Ergo perfectio personalis est convenientissima et moraliter necessaria statui perfectionis communicandae seu exercendae.

ATTAMEN, *quoad conscientiam, notandum*, juxta doctrinam Suarezii (*de Relig.*), quod: licet convenientissimum sit et longe melius, ut non assumatur munus perficiendi alios, nisi post multam propriae perfectionis exercitationem et acquisitionem; nihilominus non est simpliciter et ex praecepto necessarium, ut reipsa talis perfectio praecedat; sed satis est, ut proposito et voluntate de se efficaci, habeatur, saltem quoad implenda omnia, quae ex vi talis muneris necessaria sunt, et sub obligatione cadunt, quamvis perfectissima sint; v. gr. omnia bona sua pro honore Dei et sui gregis salute contemnere si opus fuerit; pro ovibus animam ponere; pro earum salute vigilare, et convenienter illas pascere (cfr. *ibid. t. 3, l. 1, c. 14, n. 1*). — Quoad vitae sanctitatem requisitam in proxime ordinandis, vide *Theol. Moral.*

II. *Obligatio perfectionis exercendae, repeti debet ex obligatione, ex Ordinatione et pastoralis officio derivata*, ac proinde mensuranda juxta regulas Theologiae Moralis, praesertim ubi de obligationibus Episcoporum et Parochorum, de obligatione ministri sacramentorum, etc.... Ergo negligere perfectionem exercendam idem est ac negligere proprias obligationes quoad fideles et ministerium sacrum. Ergo perfectio exercenda, est primario et principaliter officium Episcoporum; quasi-principaliter, officium Praelatorum et aliorum curam habentium animarum; aliquo modo, est officium omnium sacerdotum.

32. — *Obligatio religiosorum.* — I. *Religiosi vi professionis tenentur tendere ad perfectionem*

per media essentialia, seu per tria vota obedientiae, paupertatis et castitatis, et per media accidentalia seu per Regulas proprii Instituti. — PROB. 1° Tenentur Deo reddere vota sua in Religione vivere et conversari modo ipsi Religioni accommodato: atqui hoc fit per observantiam votorum et regularum in genere; ergo... — 2° Religiosi tenentur, etiam ratione cujusdam contractus Religionem inter et ipsos, Religioni utiles esse: atqui regularis qui vota et regulas non observat, dici nequit Religioni utilis: ergo... — 3° « Monacho cuculla prodest, si regulam observet: si autem praevaricator regulae sit, cuculla sua inutilis facta est » (S. Anselm. *in Epist. ad Rom.* c. 2). — 4° « Male se rectum putat qui regulam summae rectitudinis ignorat » (S. Franc. *opusc. de laud.* 2 reg.). — 5° « A regula nec Abbas eximitur; quid hoc sibi vult? ut regulam conservet in omnibus, nisi ut nullus temere declinet ab ea » (Joan. Trith. *in c. 2, reg. S. Ber.*). — 6° « Considerare debes regulam quam professus es, et exemplari regulae, cui te debeas conformare » (S. Th. a Villanov. *serm. in Dom. 3 Adv.*). — Hinc toto cordis affectu consideret devotus religiosus saluberrimum S. Bonaventurae monitum: « Considera statum voluntatis tuae: « in prima die qua religionem intrare disposuisti: « quam humilis tunc fueris; quam paratus tunc obedire ad omnia, tam aspera quam despecta; quam « patiens ad correctiones et penurias et labores; quam « verecundus et timoratus: quam sollicitus, ut emendes vitam tuam. Secundum hanc formam semper

« postmodum stude vivere, ne aliter in schola religionis dediscere et retrocedere, magis quam proficere videaris » (*De prof. relig.* l. 1, c. 1).

II. *Religiosus graviter violans aliquod votum non peccat toties quoties contra obligationem tendendi ad perfectionem.* Aliter multiplicarentur peccata absque fundamento, cum obligatio tendendi ad perfectionem non consistit in uno vel altero actu, sed in ordinario vivendi modo. Ergo ad peccatum contra obligationem tendendi ad perfectionem, requiritur ut saepe saepius infringantur vota in re gravi, vel ut regulae *ex contemptu auctoritatis* generatim transgrediantur. — Quoad illum qui frequenter regulas infringit, notandum cum Suarezio (*De relig.* tr. 8, l. 1, c. 4, n. 18): « Existimo, raro contingere, ut illa remissio animi in servandis regulis « levioribus, etiam directe voluntaria, sit ex hoc solo « titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, per « se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliquae peculiares circumstantiae, quae in « aliqua materia consumment occasionem proximam ». Ergo non statim damnandus de mortali religiosus in regulis servandis negligens: nec facile judicandus graviter culpabilis contra obligationem tendendi ad perfectionem religiosus ex fragilitate aliquoties graviter peccans contra aliquod votum. Standum ergo regulis a Moralisticis traditis.

Attamen religiosus qui quasi ad limina inferni per suam imperfectissimam conversationem, practice tentoria fixit, ex communi Doctorum sententia, ma-

gnis se exponit periculis. Si christiani qui praecise sola mortalia vitare intendunt, solaque graviter obligantia praecepta servare, in praxi difficillime stare possunt, quid erit de viro Deo solemniter dicato, qui cum magna ingratitude suum mensurat amorem erga optimum Deum suum, qui eduxit eum de terra Aegypti, et introduxit eum in securum religionis portum?

ART. III. — Documenta perfectionis et quodlibeta.

33. — DOCUMENTA PERFECTIONIS IN GENERE *ab antiquis doctoribus asceticis tradita (quibus adjungimus breves explanationes):*

- 1° *Resolve* (i. e. firmum propositum et ardens perfectionis desiderium habeto).
- 2° *Examinare* (frequenter quomodo proficias).
- 3° *Finem* (agendum ex motivo et fine supernaturali: pro Deo et propter Deum).
- 4° *Tempus* (dum tempus habemus operemur bona: thesaurizate...).
- 5° *Renova* (saepe saepius resolutiones iterans, dicito: « ecce nunc coepi »).
- 6° *Cum ordine* (omnia suo tempore fiant: omnia ordinatim, ne confusio pariat inconstantiam).
- 7° *Otium expelle* (semper esto honeste occupatus: moderata sit recreatio).
- 8° *Ante Deum* (ambula coram Deo: creatorem in creaturis considera).

- 9° *Poenam elige* (saepe mortificationis causa alacriter elige quae tibi minus placent).
- 10° *Nec turberis* (peccasti? humiliter et fidenter poenitere. Adversa et prospera in pace accipito).
- 11° *Melius operando* (non solum agendum ex motivo supernaturali, sed meliori modo).
- 12° *Lucem et gratiam a Deo petendo* (ora ut scias quid Deus velit a te, et ora ut ipsi placeas).
- 13° *Et commendare memoriae* (meditare frequenter haec documenta).
- 14° (*Mariam Matrem pulchrae dilectionis, Magistram perfectionis, exemplar sanctitatis, tutamentum verae devotionis, frequentissime invoca.*)

34. — DOCUMENTA PERFECTIONIS ECCLESIASTICAE (1° acquirendae, 2° exercendae).

- 1° *Sancta legas, ora, recolens tua facta labora, Sit Deus ob mentem, videat te ad sacra frequenter. Sedulus ad pia secedas, sit corde Maria.* [tem,
- 2° *Fungere muneribus, templo famulare libenter, Congrua sint vestis, ritus doctrina Levitae.*

Hinc: « nihil est, quod alios magis ad pietatem « et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita « et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. « Cum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum « cum conspiciantur, in eos tanquam in speculum « reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod « imitentur » (Trid. 22, c. 1, *de Ref.*).

35. — DOCUMENTA PERFECTIONIS REGULARIS. — 1° « Sex species observantiae regularis: asperitas

« vestimenti, ariditas alimenti, protensio vigiliarum, « taciturnitas silentii, labor manuum, castigatio di- « sciplinae » (Hugo Card. *sup.* 3, *Reg.* c. 10). — 2° « In religione charitas praecipue custoditur: cha- « ritati victus, charitati sermo, charitati habitus, « charitati vultus adaptatur » (S. Aug. *De mor. Ec- clesiae*, c. 33). — 3° « Conversare simpliciter inter « fratres, devotus Deo, superiori subditus, senioribus « obediens, junioribus contemperans, angelis placens, « verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes » (S. Bern. *epist. ad Ogerium, can. reg.*). — 4° « Bo- « nus religiosus quidquid virtuositatis cernit in aliis, « studet sectari, culpas vero aliorum pie pertransit, « salva correptione fraterna » (Dion. Carth. *De prof. monast.* a. 16). — 5° « Elaborate potius inter vos « contentione laudabili, ac aemulatione meliori, ut « certetis quis vestrum in opere Dei sit promptior; « quis in oratione ferventior; quis in lectione solli- « citior; quis in castitate purior; quis in lacrymarum « largitate profusior; quis in corpore honestior; quis « in corde sincerior; quis in ira mitior; quis in man- « suetudine moderatior; quis in risu rarior; quis in « compunctione ardentior; quis in gravitate funda- « tior; quis in charitate jucundior » (Euseb. Emissen. *hom. 9, ad Monach.*). — 6° « Beatus religiosus Deo « devotus, saeculo ignotus; cui oppidum carcer, clau- « strum refrigerium, labor requies, solitudo solatium, « luctus gaudium, silentium pacis hospitium » (Kem- pisp, *serm. ad Nov.*). — 7° « Tria haec in congre- « gatione necessaria tibi sunt custodiendia: ut sci-

« licet surdus, ac mutus, et caecus incedas » (Jo. Cass. l. 4, *de Coenob. inst.* c. 41).

36. — *Conclusio sive Compendium perfectio- nis religiosae, seu « D. Anselmi Cantuariensis carmen divinum de mundi contemptu, vita mona- chorum, adeoque christianorum omnium ».*

(*Excerptum ex operibus ejusdem Sancti.*)

1. « Quid deceat monachum, vel qualis debeat esse, Qui jubet ut dicam, porrigat ipse manum.
2. Non tonsura facit monachum, non horrida vestis, Sed virtus animi, perpetuusque rigor.
3. Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica, Sanctaque sobrietas haec faciunt monachum.
4. Haec vos in coelum, monachi, quadriga levabit, Haec post hanc vitam praemia summa dabit.
5. Nil tonsura juvat, juvat haud vilissima vestis, Si lupus es, quamvis esse videris ovis.
6. Nam falli possunt homines, sed fallere Christum, (Qui nullum fallit) nemo potest hominum.
7. Ille quidem fucum simulatae religionis Damnat, et in reprobis moribus esse nequit.
8. Vovistis fratres? vovistis? vestra rogamus Vivite solliciti reddere vota Deo.
9. In majestatem divinam peccat abunde, Quisquis quae non vult reddere, vota vovit.
10. Vovistis Domino, vestros convertere mores, Jam non peccetis, sit modus et vitiis.
11. Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus, Sit castus quisquis luxuriosus erat.